

Stanisław Styś

**"Interpretatio mariologica
Protoevangelii (Gen 3, 15) tempore
postpatristico usque ad Concilium
Tridentinum", T. Gallus, Romae 1949
: [recenzja]**

Collectanea Theologica 23/3-4, 366-380

1952

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej **bazhum.muzhp.pl**, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

RECENSIONES

T. GALLUS S. J., *Interpretatio mariologica Protoevangelii (Gen 3, 15) tempore postpatristico usque ad Concilium Tridentinum*. Romae 1949, Libreria Orbis Catholicus, pp. XVI, 215.

Liber hic ulterius prosequitur intentum operis Fr. Drewniak (P. Leander) O. S. B., cui titulus „Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Väterzeit“ (Breslau 1934), atque historiam interpretationis mariologicae Gen. 3, 15 aetate postpatristica usque ad Concilium Tridentinum perducit. Huic principali sui libri argumento praemittit Auctor analysisim quorundam textuum ex aetate patristica, quod ei occasionem praebet enuntiata posteriorum scriptorum cum dictis Patrum conferendi atque etiam quaedam asserta et conclusiones P. Drewniak „corrigendi“. Deinde vero ingenti labore adhibito opera circa 100 auctorum seu etiam anonyma scripta, v. g. opera liturgica, adortus Auctor, singulorum mentem eruere ac mutuas relationes explorare contendit. Haec in parte priore analytica operis. In parte vero synthetica, quae sequitur (pp. 167—203), primum brevem synthesim materialem ac formalem statuit, deinde vero historiam interpretationis cum aevo patristico tum postpatristico compendio tradit, auctoritatem doctrinalem documentorum, valorem exegeticum interpretationum, doctrinam e Protoevangelio deductam ex ordine texit.

De eventibus, quos Cl. Auctor assecutus est, mox loquemur. Interim laudanda est sollers eius diligentia in textibus colligendis, non parva sagacitas in eis interpretandis ac denique perspicuitas, claritas et rectus ordo in re proponenda ma-

nifestatae. Quae dotes magna ex parte sunt causa, cur lector primo obtutu quasi sponte feratur ad conclusiones Auctoris admittendas et approbandas.

Hisce tamen non obstantibus accuratior rerum investigatio plura detegit, quae dubia in animo movent atque plenum assensum dare prohibent. Quaedam saltem maioris momenti recensenda sunt.

1. Alio in loco iam monstravi non inniti veritati assertum Cl. Auctoris, quod antithesis „Eva—Maria“ ab initio cum Gen 3, 15 sit intime connexa, quodque hoc sit fundamentum omnis interpretationis christologico-mariologicae illius textus ac denique quod interpretatio mariologica Protoevangelii virtualiter lateat in omni antithesi „Eva-Maria“ etiam sine relatione ad Gen 3, 15 expressa (p. 170 s.). Quod illic dixeram, certo valet pro tempore patristico, de quo solo in supra memorata commentatione egi. Sed etiam illud, quod de tempore postpatristico Cl. Auctor asserit: „Ratio vel fundamentum interpretationis mariologicae etiam tempore postpatristico videtur esse antithesis „Eva-Maria“ in v. 15a intellecta, quod interpretes saepe exprimunt, vel tantum v. 15b, cum lectione „ipsa“, mariologice explicantes, supponunt“ (p. 185), non videtur posse sustineri.

Nam misso hoc, quod omnino pervium non est, quomodo in lectione „ipsa“, miariologico modo intellecta, antithesis „Eva-Maria“ supponatur, analysis illorum textuum, quos ipse Auctor collegerat, monstrat antithesim „Eva-Maria“, aut nullum nexus habere cum interpretatione mariologica Gen 3, 15 aut tantum occasionaliter cum hoc textu coniungi. Velim exempli gratia afferre unum scriptorem aetatis postpatristicæ, apud quem illam antithesim deprehendimus.

De Mose Bar-Cepha Cl. Auctor ait, eum cognoscere interpretationem Gen 3, 15 mere naturalem (serpens — animal, mulier — Eva, semen mulieris — eius posteritas), christologicam et allegorico-moralem, item antithesim „Eva-Maria“, non loqui tamen de interpretatione mariologica Gen 3, 15 (p. 43).

Haec videntur mihi paulo corrigenda esse. Moses Bar-Cepha enim dat quidem duplēm explicationem litteralem: aliam acceptiōne propria de serpente-animali, aliam acceptiōne impropria seu metaphorica de Satana, ubi contritionem capitis serpentis concipit hoc modo: „homines... per virtutes... irritos... reddunt vafros tuos conatus, quos tu *primarios* atque *insuperabiles* esse putabas“ (*Commentaria de Paradiso*; MG 111, 567, cf. Gallus, p. 42), seu „astutiarum initium“ (Ibid. 591); per calcaneum vero intellegit hominum „dicta factaque, ut in peccata *deicere* atque a Deo procul ipsos *abducere queas*“ (Ibid., 567), seu „tu peccati vulnus ipsi (i. e. „semini humano“) infliges, ut perdere possis in *extremo* eius vitae actu“ (Ibid., 591). Christologicam tamen interpretationem Moses Bar-Cepha non dat, nam illud, quod de Christo dicit: „... verum Christus ubi advenit, nobis exemit hunc tui metum, secundum illa ipsius verba: „Dedi vobis potestatem calcandi serpentes et scorpiones, omneque robur adversarium“ (Lc 10, 19)“ — non debet ita intellegi, ac si ad Christum applicentur verba Gen 3, 15, sed potius, quod homines non debent metuere insidias a Satana eorum calcaneo paratas, quia vim habent eius caput conterendi secundum Gen 3, 15b, quam vim a Christo acceperant ipso testante in Lc 10, 19. Talem et non aliam esse mentem Mosis, comprobatur tum eo, quod auctor adhibet praedicata non in futuro tempore, ut fecisset; si praedictionem, quae Gen 3, 15b continetur, hisce verbis explicare intendisset (sicut in praecedentibus fecerat), sed in praeterito, conformiter ad tempus praedicatorum in Lc 10, 19 adhibitum; tum ex eo, quod in propositione, quae immediate sequitur, e Lc 10, 19 deducit quidem iudiciale sententiam, Gen 3, 15 prolatam, ad Satanam quoque et non ad solum animal referri, minime tamen concludit, illum, qui Gen 3, 15 caput serpentis contritus esse praedicatur, esse Christum. Quamquam vero neque mariologicam neque etiam christologicam interpretationem Gen 3, 15 noverat Moses Bar-Cepha, tamen alio in loco proponit pulchram antithesim „Eva-Maria“ (Ibid., 553, cf. Gallus, 43), hoc modo procedendi sequens stricte vestigia suorum praecursorum aetate patristica.

Non nego alios scriptores aevi postpatristici includere in sua antithesi „Eva-Maria“ etiam Gen 3, 15. Attamen, uti dixi, connexio est potius accidentalis, non vero necessaria. Ceterum assertum Cl. Auctoris, quod antithesis „Eva-Maria“ in v. 15a intellecta fundamentum sit interpretationis mariologicae Gen 3, 15, ipsum fundamento caret. Auctor enim in mente habet aut antithesim olim a Iustino et Irenaeo propositam aut antithesim, prout in scriptis eorundem auctorum aetatis postpatristicae invenitur. Si primum, „fundamentum“ a Cl. Auctore indicatum nullum est, quod in supra notata commentatione probavi; si vero secundum — quod contextus videtur omnino postulare — committitur petitio principii, nam „antithesis Eva-Maria in v. 15a intellecta“ supponit interpretationem mariologicam Gen 3, 15 et ex altera parte huius interpretationis asservatur esse fundamentum.

2. Postquam a L. Drewniak probatum est maiorem partem Patrum non proponere interpretationem mariologicam Gen 3, 15, cum e 38 auctoribus ab eo consideratis 8 tantum eam admittant, inopinatum est iudicium Auctoris „interpretationem christologico-mariologicam tempore patristico re vera sententiam dici posse 'catholicam'“ (p. 170). Ut iudicium hoc ferre posset, Auctor primum numerum Patrum, qui interpretationem mariologicam sequuntur, auget usque ad 12, inclusis utique duobus scriptoribus, Serapione et Chrysippo, quos Drewniak omiserat; deinde vero conatur ostendere duodecim istos Patres „non tantum aliquam regionem particularem, sed Ecclesiam universalem illius temporis“ repraesentare, cum disponantur per universae orbis terrarum plagas.

Observare liceat sequentia: 1º Duodenarius numerus nullo modo stare potest, nam Iustinus et Chrysippus mariologicam interpretationem Gen 3, 15 non noverant, prout alibi probavi; quod deinde Isidorum Hispalensem attinet, ille refert tantum interpretationem mariologicam tamquam sententiam „quorundam“ auctorum, neque videtur huic sententiae magis adhaerere quam interpretationi allegorico-morali, quam praemiserat, ut putat Auctor (p. 23s.), quia eius expositio reddit tantum pro-

priis verbis illud, quod apud diversos Patres repertum est; neque Prudentii interpretatio magni facienda est: cum enim eodem modo ad S. Agnetem ac ad B. V. Mariam verba Gen 3, 15b applicet, aut tantum venae poeticae indulgere dicendus est, aut utroque loco accommodatione uti (cf. Drewniak, op. cit., 71—75). 2º Ni fallor, non obstante diffusione per varias ecclesiias interpretationis mariologicae Gen 3, 15 nota sententiae „catholicae“ tempore patristico nullo modo — sensu in theologia recepto — ei competere potest, praesertim cum eodem tempore non-mariologica interpretatio multo magis diffusa sit, et quidem mariologica interpretatione, saltem apud nonnullos Patres, implicite exclusa. Proinde puto Auctorem cum quadam oratoria exaggeratione (quae eiusmondi opus non decet) haec dixisse.

3. Porro Auctor cautor esse debuissest in allegandis Patribus, qui christologicam tantum interpretationem praesefrerunt aut eius vestigia ostendunt (p. 170). Nam nisi contrarium certo constet, semper possibile est eosdem auctores per „mulierem“ intellegere Eam, cuius „semen“ seu progenies est Christus. E 6 scriptoribus, quos Auctor allegat, certo hoc valet de Ambrosio; multa suadent idem dicendum esse de Hippolyto Romano; de Clemente Romano dubium est, an ad Gen 3, 15 quamlibet allusionem faciat; item probabilius non hoc textu, sed Ps 90, 13 utitur Novatianus.

4. Omnino extra propositum est, quod Auctor concludendo suam aetatis patristicae synthesim, cum emphasi dicit, sub respectu relativo maiorem partem Patrum Protoevangelium mariologice interpretatos esse (p. 172). Nimirum Auctor concedit quidem secundum computationem absolutam longe plures Patres non dare mariologicam interpretationem; cum tamen isti Patres in varias sententias abeant et ad summum septem in eadem plus minusve interpretatione consentiant, mariologico sensui autem duodecim faveant, putat se ius habere inferre sub respectu relativo maiorem partem Patrum mariologicam interpretationem textus profiteri, quod ei in hac quaestione maximi momenti esse videtur. Pace Cl. Auctoris liceat dicere

argumentationem hanc in cassum ire. Nam cardo quaestio[n]is non in eo est, quaenam e diversis interpretationibus apud Patres praevaleat, sed in eo, utrum maior eorum pars mariologicam interpretationem Gen 3, 15 proferat necne, quocumque tandem modo illum textum singuli intellegant. Hoc modo ipse Auctor problema ponit pro tempore postpatristico (p. 1). Ideo illa solum computatio, quam Auctor absolutam vocat, in nostro casu applicari potest et debet.

5. Interpretationum non-mariologicarum triplicem formam distinguit Auctor: a) sensu allegorico-morali, b) sensu collectivo-morali („semen mulieris“ est totum genus huma[n]um), c) sensu ecclesiologico-morali („mulier“ est Ecclesia, quae conterit caput serpentis) (p. 181). Omnes vero istos sensus nonnisi accommodationes esse censem Cl. Auctor in capite, in quo de valore exegeticō interpretationum ex professo agit (c. III partis *syntheticae*, pp. 180—191). Puto hoc iudicium exaggratum esse et intentioni auctorum saepenumero contraire. Videamus singula.

„Sensus allegorico-moralis Augustini et Gregorii Magni — ait Auctor — sensus principalis interpretationis nonmariologicae tempore postpatristico, est sensus accommodatius, qui exegeticē non venit in cōsiderationem“ (p. 181 s.). Aliqua distinctione hic opus esse censeo. Certo allegoria, hermeneutico-scripturistico modo intellecta, ut plurimum est idem ac accommodatio. Sed allegoria rhetorico sensu sumpta praebet saepe sensum litteralem, et quidem unice verum sensum litteralem. Quando „serpens“ in Gen 3, 15 concipitur esse diabolus seu ad diabolum ista sententia Dei applicatur, illa, quae de eo praedicantur, non nisi metaphorice seu allegorice intellegi possunt. Nos quidem hodie istas metaphoras hoc modo solvimus, quod contritio capit[is] serpentis significat destructionem potentiae diabolicae seu plenam de diabolo victoriā, vulneratio calcanei vero — mala sive physica sive moralia a diabolo semini mulieris illata. Sed aetate patristica et postpatristica istae metaphorae plerumque alio modo solvebantur. S. Augustino, cuius mens tantum influ[x]um habuit in exegesim Gen 3, 15 apud Latinos, caput serpen-

tis est „prima eius [diaboli] suggestio“ seu „initium malaे suggestionis“ (*Enarratio in Ps* 103, Sermo 4, n. 6; in *Ps* 48, Sermo 1, n. 6:ML 37, 1381 s.; 36, 548; cf. Gallus, 11), observatio vero calcanei est observatio lapsus hominis (*Ibid.*). Hae et aliae similes solutiones istarum metaphorarum possunt esse obiective non rectae aut non adaequatae, tamen limites sensus litteralis non praetergrediuntur. Ideo Moses Bar-Cepha, qui ad istas metaphoras solvendas se coarctat, cetera vero sensu proprio explicat („semen mulieris“ est posteritas Evaе), dat interpretationem vere litteralem, ut supra notavi. Idem puto de non nullis aliis scriptoribus dicendum esse, qui in parte analytica libri Cl. Auctoris sensum allegorico-moralem praeseferre notantur.

Aliter tamen iudicandum est, cum alia quoque elementa v. 15, quae vi contextus sensu proprio aut ad summum metonymice intellegenda sunt, considerantur esse metaphorae. Quando idem Augustinus in lib. 2 *De Genesi contra Manichaeos*, c. 18 mulierem dicit esse animalem partem hominis, semen diaboli — perversam suggestionem, semen autem mulieris — fructum boni operis, quo perversae cogitationi resistit (ML 34, 210; cf. Gallus, 9—11), dicendum est eum derelinquere contextum historicum ac puram putamque accommodationem proferre. Sic quoque faciunt plerique S. Augustini sequaces, ut v. g. Petrus Lombardus, cum dicit: „In singulis nostris est haec mulier et vir eius. Eva enim caro nostra est, quae seducit virum, i. e. rationem, per quam carnem labitur homo, qui lapsus per calcaneum hic significatur, quem observat diabolus, ut deiiciat...“ (*In Psalmos Davidicos commentarii*, ad *Ps* 48, 5; ML 191, 467; cf. Gallus, 65). Quamquam si agitur de intentione scriptoris, saepe suspicari fas est eum sibi persuasum habere se hoc modo sensum litteralem prosequi. Exemplo sit Ioannes Card. de Turrecremata, qui post longam introductionem, in qua de sensu litterali proprio et impropio optima principia statuit, cum ad refellendam interpretationem mariologicam Gen 3, 15 accedit, opponit ei — manifeste tamquam sensum litteralem — interpretationem allegoriam Augustini in opere *De Gen.* c.

Manich., e Glossa haustam (*De veritate conceptionis*, Romae 1547, 208—210; cf. Gallus, 121 —123). Idem valet de Alphonso Tostato et de Dionysio Carthusiano, ut ipse Cl. Auctor notat p. 176. Nonne tamen forsitan de aliis quoque scriptoribus idem dicendum est, quamquam mentem suam tam clare non proponunt?

Transeamus ad interpretationem collectivo-moralem. Tamquam primum signum, quod talis interpretatio et generatim omnis interpretatio non-mariologica sit tantum accommodatio, ponit Auctor illam circumstantiam, quod textus Gen 3, 15 non integer refertur, sed in parte, atque obiter loquendo. Ita iam apud Tertullianum. „Hic modus abrupte, inadæquate, perfunctorie recurrendi ad Gen 3, 15... saeculis subsequentibus erit communis. Talis modus resumit Protoevangelium non interpretandi sed illustrandi gratia, proinde adducit textum sensu accommodatio, acceptum integrum vel aliquam tantum eius partem...“ (p. 171). Timeo hic aliquam principiorum hermeneuticorum confusionem adesse. Nam quaevis illustratio e textu biblico desumpta necessario aliquam interpretationem — sive litteralem sive etiam accommodatam — supponit. Principium hermeneuticum, de quo Cl. Auctor cogitat, est paulo aliud: non licet uti accommodatione ad arguendum, sed tantum, servatis servandis, ad illustrandum. Sed etiam stante hoc principio non sequitur ab unaquaque illustratione excludi sensum litteralem.

Item non video, quomodo ex eo, quod aliquis auctor non integrum textum adhibet, sed tantum eius partem, aut obiter eum allegat, necessario fluat, eum velle tantum accommodatione uti. Quia textus erat notus, saepius ad hunc sensum (moralem) adhibitus, satis erat auctori eum — etiam arguendi gratia — data occasione breviter recolere, si nimirum non intendebat ex professo de hoc textu agere, sed illa tantum ex eo excipere, quae ad suum scopum faciebant.

Quod vero obiective et independenter ab intentione auctorum omnis interpretatio collectivo-moralis et ecclesiologico-moralis in simplicem accommodationem reincident, multiplici

argumento probat Cl. Auctor. Et quidem primum statuit dilemma: „Semen mulieris (totum genus humanum) conteritne caput diaboli dependenter a Christo an independenter ab Illo? Si independenter a Christo, simpliciter falsum est. Si dependenter a Christo, sensus collectivo-moralis iam implicat sensum christologicum Protoevangelii et eius est aliqua extensio ad eos qui Christo incorporantur et inter se iunguntur vinculo caritatis erga proximum. Sed extensio ista videtur esse accommodatio sensus christologicici. Totum enim genus humanum, „semen mulieris“ restringitur tantum ad ‘bonos’...“ (p. 182). Ad istam rationem sufficiens responsum invenitur in mea commentatione *Egzegetyczne podstawy tłumaczenia maryjnego Rodz. 3, 15 (Quae sint fundamenta exegetica interpretationis mariana Gen 3,15?* in *Roczniki Teologiczno-Kanoniczne* 1 [1949] 71s. 74—78; etiam separatim editum: Lublin 1949). Concedo Cl. Auctori sensum collectivo-moralem Gen 3, 15 sine connexione cum Christo non sufficere. Attamen ille nexus cum Christo alio modo concipi potest, qui nullam accommodationem implicat. Non tantum „boni“ et actu Christo incorporati, sed totum genus humanum victoriam feret de diabolo, per suum nempe representantem Iesum Christum. Revera victoriam adipiscitur Christus, sed toto generi humano illa iure tribuitur, quia Christus totum genus humanum repreäsentat eiusque nomine agit. Haec idea est verissima, in Novo Testamento luculenter contenta aut supposita (cf. Lc 11, 22; 2 Cor 5, 14, 21; Gal 3, 13 s.), atque clavem praebet ad textum Gen 3, 15 sensu christologico-mariologicō recte interpretandum. Utique attendendum est, in Gen 3, 15 esse sermonem de partibus, quas in victoria Christi genus humanum habebit „in potentia“ tantum, non vero „actu“, quantum illa in singulis eius membris verificatur. Et sic non per accommodationem, sed limpidissimo sensu litterali totum genus humanum ab Eva descendens potest esse „semen mulieris“ in Gen 3, 15.

Duas alias praeterea „inconvenientias“ notat Cl. Auctor, quibus comprobari putat sensum collectivo-moralem esse sensum tantum accommodatitum. Prima inconvenientia est eius-

modi: Si sensus ille esset litteralis, „Deus i n E v a i n o-b e d i e n t e, praevericatrice anticiparet promissionem suam m a g n a m quam praemii instar dafurus est Abraham p r o o b e d i e n t i a sua laudabili“ (p. 182). Non est difficile istam „inconvenientiam“ diluere. Nam 1^o v. 15 est pars sententiae divinae contra diabolum latae, itaque primario exprimit poenam diabolo illatam; 2^o in quantum vero haec poena e rerum natura implicat beneficium Eva et generi humano collatum, beneficium istud non praemii causa confertur, sed liberalissimae misericordiae divinae erga protoparentes eorumque universam posteritatem debetur; 3^o Abrahae pro sua obedientia non prima promissio victoriae a Messia venturo parienda annuntiatur, sed Messias, antehac in Gen 3, 15 promissus, ex eius stirpe oriundus praedicitur, atque hac ratione patriarchae obedienti revera novum et magnum praemium conceditur.

Altera „inconvenientia“: „nullibi apparet Eva utpote inimica Diaboli in ordine morali. Item; multo maior pars seminis Eva collective sumpti non est inimica Diaboli sed est eius amica“ (p. 182), est difficultas trita, quae breviter expediri potest: 1^o non erat necesse Scripturam narrare, quomodo Eva restiterit diabolo, quia v. 15a non est primo loco promissio neque etiam mandatum, sed inductio, per voluntatem Dei, status inimicitiae, quam utique Deus se sustentaturum esse implicite promittit; 2^o non agitur de posteritate Eva distributive sumpta, sed de genere humano, inclusis protoparentibus, in globo considerato, cuius pugna cum diabolo, in suo repraesentante et capite Iesu Christo ad culmen victoriae perducta, non excludit partiales et magnas defectiones singulorum membrorum, immo et magnae partis humanitatis. Cf. iterum illa, quae fuse expousueram in supra notato scripto, p. 60—67.

Hisce omnibus consideratis dicendum est Cl. Auctorem nimis praepropere iudicasse omnem interpretationem collectivo-moralem Gen 3, 15 in sensum accommodatitum reincidere.

6. Auctor expresse fatetur usque ad saec. XVI in opéribus exegeticis praevalere interpretationem non-mariologicam Gen 3, 15. Ita v. g. saeculo XII ex 19 operibus exegeticis ab Auctore

examinatis non-mariologice explicant textum 14 (p. 176). Ideo Auctor se convertit ad opera mariologica et homiletica, quae dicit non minore auctoritate gaudere. Nam „interpretes medi aevi in operibus suis exegeticis servileiter sequebantur interpretationem Augustini et Gregorii Magni quin suam opinionem propriam proferrent. E contra, in operibus mariologicis, homileticis, liberi a „forma scientifica“ illius temporis, repetendi scil. interpretationem Glossae, non tantum alienam sed etiam propriam proferre potuerunt mentem. Ideo si ita fas est loqui, dixerimus: in operibus exegeticis medioaevalibus Spiritus Sanctus sub quodam respectu remote, mediante nempe Augustino, edocuit interpretes; in operibus autem mariologicis et homileticis proxime“ (p. 178 s.).

Tamen Cl. Auctor sibi ipsi contradicere videtur. Nam in eadem p. 179 paulo inferius dicit: „Quod medio aevo Augustinus et Gregorius Magnus pro interpretatione nonmariologica fuerunt, id fuit Bernardus pro interpretatione mariologica“. Unicam differentiam putat esse hanc, quod interpretationes non-mariologicae, utpote merae accommodaciones, paullatim dereliquantur, interpretatio vero mariologica, „utpote sub respectu exegetico sana“, superstes manserit (*Ibid.*). Quia itaque fatente ipso Cl. Auctore eodem modo homiletiae auctoritate Bernardi ducebantur in mariologica interpretatione Gen 3, 15 proponenda, ac exegetae in non-mariologica auctoritatem Augustini et Gregori M. secuti sunt, fluit inde homiletas quoque, excepto S. Bernardo, remote tantum a Spiritu Sancto eductos esse, similiter ac exegetas.

Sed praeterea aliud maius et valde periculosum inconveniens dictis Auctoris implicatur, quod eius attentionem fugit. Nam ex oppositione ad „sanam sub respectu exegetico“ interpretationem mariologicam Gen 3, 15 interpretatio non-mariologica dicenda est esse non sana. Immo alio in loco eandem interpretationem a Patribus propositam Auctor aestimat „exegetice omnino insufficientem vel falsam“ esse (p. 203). Nonne mirum est Auctorem asserere Spiritum Sanctum talem interpretationem docuisse exegetas, etsi remote tantum, immo Augustinum

et Gregorium M. etiam proxime? Puto Spiritum Sanctum alio modo aptiore direxisse Ecclesiam Christi, ut interpretatio mariologica, e parvo initio quasi e grano sinapis exorta, in magnam arborem excresceret, quam hodie conspicimus.

7. Quod Cl. Auctor tuetur interpretationem allegorico-moralem, collectivo-moralem, ecclesiologico-moralem per se non excludere inrepretationem mariologicam Gen 3, 15 (p. 199 s.), omnino approbo, nam ipse contra Drewniak idem asserueram (Op. cit., 36—39). Non possum tamen sine ullo complemento assentiri Auctori dicenti toto tempore postpatristico ne unum quidem interpretem adesse, qui e Gen 3, 15 B. Virginem expresse, positive excludat (*Ibid.*). Ipse Auctor quidem suum assertum modificat, indicans in nota Cardinalem Turrecremata, qui unicam exceptiorem facere videatur; sed explicat eo, quod Cardinalis neget sensum mariologicum Gen 3, 15 non e rationibus scripturisticis, sed dogmaticis. Quidquid tamen sit de Card. Turrecremata, puto plures alias esse auctores, qui interpretationem mariologicam non agnoscant. Quod de Patribus: Ambrosio, Cyrillo Alexandrio, Augustino (Op. cit., 43—45), Iustino et Chrysippo (supra in commentatione huius periodici) monstraveram, idem asserendum esse puto de pluribus ex aetate mediae evali. Ita Moses Bar-Cepha in illo contextu, in quo versabatur, sine ullo dubio interpretationem mariologicam Gen 3, 15 protulisset, si Mariam in isto textu vidisset. Idem probabiliter est dicendum de pluribus scriptoribus Latinis, qui sine ulla haesitatione soli interpretationi non-mariologicae adhaeserunt, quamquam interpretatione mariologica eis nota erat.

Cl. Auctor explicationem illius facti, quod interpretatio non-mariologica praevalet in operibus exegeticis mediæ aevi dat talem, quod Patres graeci, qui praecepit fautores interpretationis mariologicae fuerint, propter ignorantiam linguae non legerentur et praeterea auctoritas interpretationis mariologicae tamquam sententiae „quorundam“ non nominatorum (ita referunt: Isidorus Hisp., Beda, Wicbodus, Rabanus Maurus) exigua esset, ita ut in *Glossa Ordinaria* Anselmi Laudunensis (s. XII) sententia haec omnino praetermissa esset (pp. 173—176).

Hae rationes sunt quidem ex parte verae, sed non exhaustiunt omnia. Nam e Patribus graecis, qui mariologicam interpretationem Gen 3, 15 tenent, nominari possunt tantum tres, qui maiorem influxum habuerunt: Irenaeus, Epiphanius, Isidorus Pelusiota (praeterea adhuc Serapion), e latinis vero duo: Cyprianus et Leo Magnus (praeter *Epistulam ad amicum aegrotum De viro perfecto*, quae Hieronymo tribuebatur), sed hisce annumerandus est quoque Irenaeus, qui in Occidente maxima auctoritate pollebat et cuius opus *Adversus Haereses* iam saec. IV, si non saec. II in linguam latinam est translatum (Cf. O. Bardehewer, *Geschichte der altkirchlichen Literatur* I², Freiburg i. Br. 1913, 403). Itaque ignorantia linguae graecae apud Latinos non videtur multum impediisse, quominus interpretatio mariologica Gen 3, 15 eis nota esset. Deinde praeter opera Patrum exstiterunt opera liturgica, a Cl. Auctore inter documenta interpretationis mariologicae recensita (pp.50—55. 81 s.), quae in quotidiano usu erant. Denique si scriptores operum mariologicorum et homileticorum hanc interpretationem nōverant, idem sine ullo dubio dicendum est de auctoribus operum exegeticorum, qui non in aliis conditionibus vixerunt.

Quod Cl. Auctor dicit de auctoritate doctrinali Augustini et Gregorii M., postea vero (inde a s. XII) Glossae, quae interpretationem mariologicam Gen 3, 15 prorsus omisit, necnon de principio explicandi S. Scripturam secundum mentem Patrum, quae mens revera imprimis, si non exclusive, ex operibus illorum duorum Patrum sive immediate sive mediante Glossa hauriebatur (cf. pp. 174—178), dat quidem rationem profundiorum regressus interpretationis mariologicae Gen 3, 15 in operibus doctrinalibus medii aevi. Attamen cum scriptores isti generaliter notam habuerint interpretationem mariologicam, quod modo ostendimus, atque principia supra memorata non prohibuerint aliquos eorum interpretationem mariologicam sequi, non videtur mihi posse infiniti plerosque operum exegeticorum medii aevi auctores putasse interpretationem mariologicam non reddere veram sacri auctoris mentem.

8. Pauca verba velim adhuc dicere de idea retorsionis

divinae, quam Auctor dicit esse ideam centralem pericopes (p. 188). Res proponitur hoc modo: „Poena culpae serpentis proportionata potissimum in eo est quod sicut Serpens hominem ad mortem („in quocumque die comederis ex eo, morte morieris“ Gen 2, 17) induxit, interveniente muliere, praeeunte eius amicitia cum Serpente (credidit Serpenti) ex seductione Serpentis orta, ita „semen mulieris“ mortem Serpenti infliget („conteret caput tuum“), interveniente muliere, praeeuntibus eius inimiciis cum Serpente divinitus positis („Inimicitias ponam inter te et mulierem“). Idea igitur centralis particularis in v. 14—15 expressa haec completa retorsio divina culpae Serpentis proportionata videtur esse, hic parallelismus perfectus seu haec antithesis perfecta inter opus Diaboli peractum et opus contra Diabolum perficiendum“ (p. 189). Deinde Auctor conatur probare illam „ideam centralem“ postulare, ut semen mulieris“ sit individuale, non vero collectivum (p. 189 s.).

Certo idea alicuius retorsionis divinae pervadit vv. 14—15, sed illa retorsio alia est, ac putat Auctor. Imprimis culpa serpentis consistit non in eo, quod ille mortem, sed in eo, quod peccatum induxit: „Quare hoc fecisti? Quae respondit: Serpens decepit me et comedi. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es...“. Deinde non „hominem“ in genere neque etiam protoparentes induxit serpens in peccatum, sed immediate tantum Evam et propter h o c facinus punitur. Poena est utique proportionata culpae, eo modo tamen, quod serpens punitur per respectum ad illam personam, quam immediate decepit i. e. Evam, et quidem punitur mutua inimicitia, quae locum obtinet fictae amicitiae in tentatione. Ita in v. 15, nam in v. 14 poena infligitur serpenti pro odio Dei ac pro frustratione consiliorum eius (cf. *Egzeg. podstawy*, 56; M. Flunk in ZKTh 28/1904/ 669 s.) seu forte melius pro superbia, qua ipse serpens inflatus est et qua allexit Evam („eritis sicut Deus“). Poena per respectum ad Evam serpenti inficta progeniem quoque Eva respiciet, tum quia poena duratura est, dum Eva moritur, tum quia semini eius continget inimicitiam et pugnam ad plenam victoriam perducere (v. 15b). Hic demum,

in illa victoria est nodus, quo Christus et per eum B. V. Maria connectitur cum Protoevangelio (cf. *Egzeg. podst.*, 92 — 99). Quod caput serpentis conteritur, pertinet quidem etiam ad systema retorsionis divinae, sed aliter, ac apud Cl. Auctorem, nimirum: quia inductio peccati ope fictae amicitiae, quod culpam serpentis constituit, tristem exitum habuit mortem pro-toparentum, ideo etiam inimicitia et pugna cum serpente habita eius destructione finietur.

Hoc modo concepta retorsio divina eruitur ex ipso textu, et quidem non solum e v. 15, sed e tota pericope vv. 14—19, nam unusquisque reus (serpens, mulier, vir) poenam luet per respectum ad illam personam vel rem, quae immediatum obiectum eius culpae fuerat: serpens per respectum ad mulierem a se seductam, mulier per respectum ad virum, quem ad comedendum induxerat (cf. vv. 12, 16), vir vero per respectum ad cibum parandum, quia fructum vetitum comederat (cf. vv. 11 s. 18 s.). Ad totam hanc quaestionem cf. *Egzeg. podstawy*, 55 — 57.

Ita recte intellecta retorsio divina dicit quidem ad sensum christologico-mariologicum Gen 3, 15 stabiliendum, non tamen excluso sensu collectivo, sed eo supposito secundum leges sensus plenioris.

Omitto alias observationes tam generales quam particulares, quae legenti mihi librum P-is Gallus in mentem venerant. Quamquam in non paucis illa, quae Auctor scripserat, corrigenda esse putavi, ut rectum iudicium de aetate patristica et postpatristica formari posset, nihilominus opus valde utile esse censeo, immo investiganti historiam interpretationis Gen 3, 15 apprime necessarium. Cl. Auctori gratiae habendae sunt pro tam molesto et sollicito labore.

Stanislaus Styś S. I. (Varsaviae)